

This image shows a vertical column of twelve numbered fragments from an ancient manuscript, possibly a calendar, arranged in two columns. The fragments are heavily damaged and stained, with remnants of text and illustrations visible. The numbers 1 through 12 are written vertically on the left side of the column.

卷之三

This image shows a vertical strip of aged, yellowish-brown paper, likely from an old book cover or endpaper. The paper has a textured, slightly mottled appearance. A decorative border runs vertically along the edge of the paper. This border consists of a repeating pattern of stylized, rounded shapes that resemble stylized 'S' or 'C' scrolls. The color of the paper and the border is a muted, earthy tone. At the bottom left corner, there is a small, distinct red binding element, possibly a piece of thread or a small tag, which provides a sharp contrast to the yellowish-brown color of the paper.



ov nicht von Ab

IP

Ug 17, 9



DISCURSUS HISTORICO-JURIDICO- POLITICUS,

De Origine, Uso & necessitate Indictionis Ro-
manæ, cum annexis quibusdam Erroribus ex
illis ignorantia profuentibus,

Quem
Simplici filo & stylo Compositum, Loco Ora-
tionis Actui inaugurali præmisit

DN. ZACHARIAS
DE Beihingen /
ICTUS, COM. PALAT. CÆS. S.R.I.

perpetuo Exemptus, Canonicus Capitularis Mar-
tisburgens. in Cathedrali & Præpositus in Ecclesia
Collegiata St. Sixti ibid.

Cum in presentia multorum eruditissimorum Virorum
Notar. Publ. Cas. crearet

Doctissimum Eximumq; Virum-juvenem

DN. CHRISTOPHORVM Suttich/
Studios. Jur.

Ad quorundam Notariorum singularem requisitionem
& instantiam.

Impressus Islebiæ, Literis Andreæ Koch, Typographi,
Anno M. DC. LXVIII.

**NOBILISSIMIS, STRENUIS, NOBILI, AMPLISSIMIS,
Excellentissimis & Doctissimis**

VIRIS

**DN. GEORG-HEINRICH DE
Locketein /**

**Hæreditario in Gahlitzsch / &c. Reverendiss. & Il-
lustrissimi Principis ac Domini, Domini CHRISTIANI,
Ducis Saxon: Jul: Cliv: ac Mont: uti & Postulati Administratoris
Martisburgens. Consiliario intimo, & Cameræ Directori dignis-
simo , Fautori, Promotori ac Patrono suo
honoratissimo :**

Nec non

**DN. IOHANN-CHRISTOFF Wer / JCTO
famigeratissimo, Hæreditario in Kulm / &c. ejus-
dem Principis Consiliario intimo, Cancellario, & Præ-
sidi Consistorii Martisburgens. splendidissimo , Amico
Fautori , Promotori ac Patrono suo
colendissimo :**

ut &

**DN. IOHANN-CHRISTOFF NORICO,
JCTO. clarissimo, ac prælaudati Principis Consi-
liario Aulico spectatissimo ; Hæreditario in N.
Amico & Fautori suo venerando :**

*Hoc tenue scriptum benevolentie, amoris & Favoris sui
captandi gratia addicit ,*

dedicat & offert

ZACHARIAS DE BEICHLINGEN.



P. P.

Quod Christiani Imperatores, optimi auditores, non parum usq; de civium Reipubl: Romanæ Salute ac honore solliciti fuerint, id vel ex solo §. ult. Proœmii Instit: Justinianearum constat, & simul notum est ex l. 61. C. de Decurion. Ubi illis, qui in scientia justi atq; injusti singularem nacti sunt profectum, promotio ad aliquam gubernandæ Reipubl. partem promittitur: qui verò in illa jam tum suum talentum benè collocarunt, immunitas & honos præ aliis defertur; idq; non immeritò: nam si non adsint, qui vel aliorum actiones moderantur, vel custodiunt, vix pax publica, sine qua tamen nulla potest Respublica diu subsistere, conservatur; Contrà autem nemo sine spe præmii literarum studiis se ultrò dedere, & ex divite pauperem reddere velle creditur. Quamobrem illi, qui ad aliquam Reipubl. functionem aspirant, non delitescant, aut pigrescant, multòq; minus ab antiquis Fabulis juris scientiam discant; sed quotidiè alacri in id incumbant studio, ut tandem humanarum ac divinarum rerum solidè sibi comparent notitiam. Pro tali enim opera & arte gubernandi, si non majorem: tamen eandem, quam olim Dorotheus & Ireneus juxta d. l. 61. Cod. de Decur. obtinuerunt, reportabunt; præsertim verò merebuntur, ut ob qvalem quallem honorem vel dignitatem iis ex Jurisdic. voluntaria concessam à Fordidis excusentur muneribus & ab oneribus personalibus immunes pronuncientur: Inter illos autem non malè nostrates Notarii Publici Cæsarei referruntur, maximè cùm illi juxta Doctrinam Imp. Justinia-

A 2

ni

libertatem
et gloriam

ni studium Juris Elementare absolverunt ; Licet enim non
nesciam, quod ex illa quorundam perversa opinione, quod
illorum officium sit vile , adeo , ut vel infamibus commit-
ti possit ; honoratorum virorum radiis atq; encomiis non
coruscare posse dicantur : attamen hoc antiquis Imperii
temporibus relinquendum ; & cum hodiè , illâ opinione
merito explosa , aliud usuveniat ; nimirum , quod cum
hoc ævo & nostris moribus Notarius Publicus Cæs. simul
Judex creetur , exindeq; dignitate haud postremâ potia-
tur , ideo statui queat intrepidè , ~~notari~~ Notarium Publ. esse
Reipubl. Romano - Germanicæ membrum ubiq; honori-
ficum & gaudere unâ cum clericis ac cæteris literatis
exemptione à personalibus & cumprimis oneribus sordi-
dis , id quod prolixius à Dn. Nævio in System. jur. ad I.
præcepit nostra Cod. de canone largitionalium n. 2. 3. &
4. deducitur . Probatur quoq; idem ex d. I. 61. in voce
Notarius : Quô utiq; beneficio quid majus dari aut co-
gitari potest ? Quid enim magis beat , quam libertas ? quæ
potior aurô . Cui quidem favori , ac honori nil obstat
videtur , quod vulgo dicitur ; Notarium esse servum pub-
licum : Nam omnium Doctorum calculo nunc compro-
batum est , quod summus sit honos , inservire Romano
Imperio , vel patriæ & Reipubl. Christianæ succurrere .
Et adeo hæc est illa virga Scribæ , ut de Machir descen-
derent Principes ac Duces de Zabulon , quod B. Luthe-
rus Germanicè vertit : Von Machir sind Regenter kom-
men ; und von Zabulon sind Regierer worden durch die
Schreibfeder / Judic. 5. v. 15. aliisq; verbis Germanicis
postea reddidit ita : Die Schreibfeder muss Kaiserinne
bleiben/oder Gott wird uns ein anders sehen lassen/ Tom.
Jenens. pag. 440. Quibus adstipulatur Hermann. Lathe-
rus Tract. de Jur. Censuum. lib. I. c. 14. n. 18. ubi docet :
Gelehrte Leute und Bienen müssen wohl in acht genom-
men werden / das sie bleiben ; Quocirca si rectius Offi-
cium



cium & Servitium Notariorum P. C. cū primis Juris pe-
ritorum libremus, illi potius à servando Servatores pa-
triæ & civium, quām Servi publici i. e. Famuli populi di-
ci merentur. Verūm enim verò quandoquidem Offici-
um Notariatus ut ut necessarium, utile & honorificum :
tamen quamplurimis Civibus Romanis nonnunquam
välde possit fieri nocivum, & eo non raro in ipsam etiam
Rempublicam peccari, ideo Imperatori Maximil. II. in
Constit. Imperiali Anno Christi natū 1512. Coloniæ edi-
ta excessibus & erroribus Notariorum præcavere & re-
mederi placuit, ne fortasse propter infcitiam quis se ex-
cusatione dignum haberi debere opinaretur. Ad exem-
plum igitur hujus laudatissimi Cæsar is, Nos quoq; Ora-
tiunculæ, actui creandi Notarii Publ. præmitti solitæ lo-
co unum arq; alterum errorem Notariis Publ. familiario-
rem differendo, summoq; quasi digito attingere, & si pos-
sibile erit, penitus exterminare conabimur. Dicemus
autem potissimum, si auditoribus non fuerit molestum,
de Origine, usu & necessitate Indictionis Romanæ, cuius
quidem difficultas applicatio & congrua determinatio igno-
rata quamplurimis Notariis Publ. in condendis Instru-
mentis solennibus iisq; guarentigiatis sæpenumerò ne-
gotium atq; summum erroris dedecus generare videntur.
Unde non mediocre opere pretium facere censetur, qui
illius involucra & perplexitatem materiæ expedire con-
tendit. Illa verò (ab indicendo dicta) dupli ci capitur
modo: Uno quidem modo pro onere seu munere indi-
ctio per Principem vel Imperatorem, seu ut Alciatus in l.
inter publica ff. de Verb. Sig. definit; est tributi genus,
quod Edicto Principis, subditis indicitur, plerunq; cer-
tam quantitatem non complectens: & hoc modo hic in
nostro proposito non potest, nec debet accipi: Quamvis
autem ab initio Indictiones illæ fiebant toties, quoties &
prout publica necesitas & utilitas eas postulabat: Suc-

cessu tamen temporis cœperunt esse anniversariæ & perpetuæ. Altero autem modo sumitur pro temporis spatio , quod erat trium lustrorum vel trium quinquenniorum (idem enim denotant per l. item quæritur §. qui impleto ff. Locati.) quo scilicet tempore hujusmodi Indictiones seu munera publica exigebantur. Hinc Speculator §. 2. col. 2. vers. post annos & col. seq. de Edit. Instrum. dicit: fuisse illud inductum Romanorum tempore , quibus solvebatur primo lustro seu quinquennio ferrum pro fabricandis militum armis : Secundo argentum pro stipendiariis militibus : Tertio aurum ærario deputandum pro Republ. conservanda & secundum nonnullos pro simulachris constituendis , quibus quidem lustris finitis , finita erat Indictio & de novo incipiebat , Bertazold. de Clauſ. Instrument. Gloss. 4. Cæterū si rem altius pendere & veram ejus Originem demonstrare intendamus , Cedreno in Historia fol. 268. nonnihil tribuendum esse puto : nam is ibi statuit: quod Indictionis Romanæ constitutio incidat in annum Regiminis Divi Imperatoris Augusti decimum 5tum, qui est annus secundus post victoriā apud Actium contra Antonium & Cleopatram & post occupatum Regnum Ægypti ; licet hoc ego erro- neum æstimem , quod juxta ejus mentem Indictio ab Actio derivetur : Item quòd illius usus & valor sub Regimine Imperat. Theodosii Senioris eo tempore , quo torneamentorum ludi Olympiaci apud Græcos quotannis fuère celebrati , cœperint. Multò minùs verisimile est , quòd quidam opinentur , Indictiones Romanas jam ante Chriſtum natum ; imò ante usum & tempora inaugurandi Imperator. Roman. inventas atq; usurpatas esse ; siquidem in nulla legitur historia , aliquam ante Chriſtum natum vel Concilium Nicænum usu receptam & approbatam fuisse. Sunt præterea , qui non videntur afferere , quòd Indictionum omnium initium ex Onuphrio Panyinio in Fastis



Fastis Roman. fol. 391. referendum sit ad annum Christi
312. die 24. Septembr. ubi Imp. Constantinus bis Consul
& Imp. Licinius bis Consul Rom: fuerunt; & quidem 20.
anno Constantini Magni in Concilio Nicæno, idq; eum
in finem, ut ex eo tempore Indictiones numerari debe-
rent, ne oblivioni celeberrima illa traderetur victoria,
quam Deus prædicto die Imperatori Constantino septimo
die Regiminis Imperii dederat contra Tyrannum Maxen-
tium, qui apud Actium fracto ponte Mylvio, quem is
cum magna suorum Copia transferat, simul decidens in
Tiberim suffocatus est; prout hoc post Bünting. in Chro-
nologia sub Cyclo 312. ad vocem Constantimum; fusiūs
deducit Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Disput. 5. Thes. 3. Lit. C.
ibi: Indictionum, ait, initium ad Constantimum & ad il-
lum annum, quo quasi auspiciis crucis prælatæ in Labaro
ille Maxentium fuderat, & post apertam religionis Chri-
stianæ professionem, sensim abrogatis gentilium sacris,
Iudos etiam solennes Græcorum in Olympiacis, quod in
iis quoq; Diis sacrificabatur, inhibuerat; ut proinde in
locum Olympiadum, per quas anteā tempora computa-
bantur, novam rationem ea per Indictiones computandi
~~substituendam~~ censuerit; quas hoc nomen accepisse exi-
stimat non ab Indictione tributi, ut vulgo putatur, unde
nomen Germanicum der Römer Zinszahl; Sed quasi
Indicationes, quod Constantino cœlitùs ostendo crucis
signo, Victoria de Maxentio significata & indicata fuisset;
à quo tempore etiam, & quidem 8. Calend. Septembr.
quasi à nova Epochæ partæ Tranquillitatis Ecclesiæ Chri-
sti, initium factum fuerit Indictionum, ita ut quindecim
Indictionibus, & totidem annis, numero ad computan-
dum facilitiori elapsis, prima rursus Indictio inchoëtur.
Hanc opinionem Krentzheimius in Chronicis suis lib. 2.
Declarat. 2. cap. 2. optimam verisimamq; arbitratur;
mihiq; præ cæteris eandem placere certum est: Valeant
igitur,



igitur, qui nobis aliam suggestere sententiam moliuntur.
Valeant quoq; , qui nobiscum consentire fastidiunt: Nec
enim illi nostræ obstare videtur, quod Chyträus in Chronolog. ad Ann. Christ. 313. pag. 264. tradit ; nimirum
Imp. Justinianum in Novell. 47. initium Indictionum ad
natalem Christi transtulisse ; quoniam id ibi dispositum
non reperitur ; deinde verò, quamvis id ibidem sanc-
tum extaret ; tamen id ideo factum esse putem, ne in
computandis Christi & Imperii Christiani annis confusio
vel error nasceretur ; aut ne memoria Obedientiæ Chri-
sti, quam in tributis Imperatori Augusto solvendis præ-
stítit, interiret : At magis est, quod computatio omni-
um & singularum Indictionum ex tempore nati Christi
usq; ad Annū Christi 312. d. 24. Septembr. fictione qua-
dam Juris Publici retrograda, quantum quidem attinet
usum eam in documentis adhibendi, introducta sit: hu-
jus rei ratio est, quod ante illud tempus nulla indictio vel
Cæsaris Regimen scribi consuevit : Evidem meā sen-
tentia totius rei ac negotii cardo in eo consistit, ut distin-
guatur inter ejusdem Inventionem vel introductionem,
& inter usum illam scribendi vel annos Christi juxta eam
numerandi : Nam quoad illam tempore Dictatarum
Iustitia, ex quibus Indictio constat, jam tum in tributis col-
ligendis juxta sententiam Henrici Knaustini in Libr. Ele-
mentar. de arte Notariatus observata sunt: uti & tempo-
re Imp. Augusti ipsa Indictio floruit: Quoad hanc scil:
illius usurpationem in Instrumentis, eadem anno 312.
publicè commendata & recepta est : Et licet nonnulli
adstruant, quod Christus tertia vel quarta Indictione i. e.
tertio Indictionis anno natus sit, tamen exinde non sta-
tim inferendum judico, tempore Christi nati Indictio-
nem in Instrumentis scriptam, aut scribi oportuisse : Con-
trà verò proditum est, quod annis 312. quibus primam
Indictionem scribi invaluit; tres desint anni, quò minus
vigin-

viginti & una Indictiones à tempore nati Christi sint compleæ. Malè itaq; omnia ad Regimen Imperatoris sine discrimine referuntur: Cum primis autem quia apud extraneos ante Constantini tempora nulla de Indictione mentio habeatur, & apud Ecclesiastica monumenta prima mentio reperiatur in concilio Romano sub Papa Julio, qui Sylvestro successit, & apud Ambrosium in Epistola ad Episcopos Aemiliae provinciæ; tum etiam quod ex Græcis Fastis exploratum reddatur, sub dicti anni Consulibus cœptas numerari Indictiones Constantianas. His ita prælibatis, restat nunc, ut ostendam, ad quid conductat Indictio. Communis quidem Doctorum sententia est, quòd hæc temporis periodus ideo sit constituta à Romano populo, ut tributum in illa certis intervallis & metalli varietate solvendum, illius provinciæ (potissimum longè dissitæ) eò commodius & citius offerrent. Unde tandem & lege & consuetudine introductum esse arbitror, quòd nullus contractus vel negotium civile validum haberi debuerit, nisi hæc Indictio ad perpetuam collectarum memoriam in omnibus documentis, literis & contractibus fuerit expressa; Sicut etiamnum in Notariorum Publ. Instrumentis videre licet. Sanè ut quindecim annorum periodo aliquid cœptum absolveretur, & in Tabulas publicas referretur, nullam aliam apud antiquas hujus temporis memorias rationem reperire licuit, nisi quoad stipendia militaria cum quindenisi emeritis, miles honesta missione, concessa capitationis immunitate, si vellet, solutus militia abire posset, si nollet, majoribus privilegiis augeretur. Certum autem est, quòd hæc annorum computatio, ut supra dictum, in locum Olympiadum substituta sit, cùm illo tempore non esset usitatum, ut quis annos Christi vel Regiminis Imperatorum, utpote qui medio in anno regnare cœperunt, in literis obligationum numeraret. Interim hic sicco pede, quod ajunt, præterire non

B

licet,



licet, quod usu Imperii numerus Indictionum Notariis vel Tabellionibus Cæsareis 24. die Septembris ; Pontificiis autem 25. die Decembris in Instrumentis consignandus sit : Attamen apud Historicos hoc discrimen tam strictè ubiq; non observatur. Cum itaq; Notariis incumbat, ut ii in Instrumentis apponant annum cuiuslibet præsentis Indictionis , seu potius ipsam Indictionem annum ipsius denotantem , succedit jam , ut Notariis indicem , quo modo moderna Indictio investigari queat : illa autem semper reperiri potest dividendo annos Domini per quindenarium , & addendo 3. quia tertia agebatur Indictio i. e. ejus annus tempore nativitatis Christi , & sic Figuratè continens sumitur hic pro contento , ut tandem habeatur vera & præsens Indictio , quod ex his versibus per Speculatorum suprà allegatum d. I. positis facile cognoscitur ; cum is ita computando canit :

Si per quindenias Domini diviseris annos ,
His tribus adjunctis , Indictio certa notatur.

Quibus Glossa addit alium versum in cap. Inter dilectos. x . de Fide Instrumentor. scilicet talem :

Si nihil excedit , quindena Indictio erit :
Hoc est , adde semper numero annorum Christi . 3. , & quod emergit , divide per 15. Relictum ex divisione est præsens Indictio illius anni : Sin vero nil relinquitur ; tunc numerus 15. est illa Indictio : Sed observandum est , quod semper in mense Septembri initium numerandi fieri oporteat : Nam Indictio initium 2. vel 8. die mensis Septembris Anno 312. post nativitatem Christi , sumpsit , cui numero tres deficiunt anni , ita ut numerus 15. non sit completus . Causa genuina istius est , quod tunc temporis non solum omnes fructus & census sint maturi & usui destinati ; sed etiam quod tunc ex communi omnium suffragio unicuique pensiones annuae solvendæ veniant : quamvis illud tempus de consuetudine ita accuratè non obser-vetur;



vetur; Sed plerunq; per totum annum , annus Christi & annus Indictionis eundem faciant Cyclum , ita ut primus Indictionis annus anno Christi concurrente sit tribus mensibus longior : cæteri autem sibi æquales, Zeiler. in Centur. 4, Epistol. 51. Est itaq; in propatulo , quod semper numerus ternarius anno Christi addendus sit ; si quis veram Indictionem præsentem indagare allaboret : Exempli gratia hodiè annus 1667. currit, cui numerus 3. addendus, tunc 1670 emergit, & per 15. dividendus, tunc relinquuntur 5. Quæ omnia plenius exponuntur à Glosfatore in cap.inter dilectos x . de Fide Instrumentor. Lit. N. Tandem etiam ad id confert Indictionis scientia, ut temporum annos Instrumentorum Clausulis sparsim insertos resolvere & ad certum numerum reducere valeas, Exempli gratia : Divus Justinianus immensa juris difficultati remedium facturus, Indictione septima Imperij sui i. e. Christiano 521. Constitutiones Imperatorum in unum Codicem digessit: Et Indictione 12. i. e. quinto anno post, innumera Juris Consultorum scripta , quæ in duo millia librorum & trecies centena millia versuum propagata habebantur, in 50. libros redigit, Post Indictione 13. sc. anno Christi 526. ad emendationem novi Codicis manum admolitus est, eumque multis novis Constitutionibus locupletavit ; quo hodie utimur. Quia verò suprà dictum memini , me unius atque alterius Erroris à Tabellionibus Cæsar.commissi, rationem habiturum esse, hic monendum commodè censeo , quod si Notarius Indictionem in Instrumento solenni omiserit, illud tunc planè concidere , & nullum esse : sin verò tantum corruptè & erroneè , quod tunc corrigi possit & valeat, Cagnol. tom. 3. ad l. si librarius 93. fl. de Reg Jur. n. 19. Ubi tamen id aliter receptum est de consuetudine , posse illud oppidò valere, licet omissa sit Indictio : Similiter si erratum est in annis Domini apponendis , & Indictionis simul;

tunc præsumi magis errorem in Indictione, quam in annis
Domini Vid. Vital. de Cambin. de Claus. fol. 150. n. 12. Ut
autem nunc intermittam Cardinalem illam quæstionem,
Utrum sc. Tabellio errorem suum corrigere queat; circa
quam quidam contemplandam in Instrumentis confr-
ciendis duo benè sunt observanda; scilicet illud, quod ad
Notarium (ut annus, dies, Indictio, & similes solennitates) &
illud, quod ad partes spectat, videlicet substantia contra-
ctus: & primò quantum ad Notarium attinet, omnes
communiter concludunt, quod in his, quæ spectant ad No-
tarium, in quibus error non vitiat, prout est error Gram-
matices & Orthographiæ, vel si verbo restitutionis pro
Institutionis, & Falcidiæ pro legitima; vel substituo pro
constituō usus fuisset, Notarius errorem corrigere possit,
etiam parte non citatâ, & fine licentia judicis, etiam eo
casu, ubi parti Instrumentum esset datum, quia emendatio
nemine lœdit, nec pars habet causam conquerendi, cur is
corrigat: licet præstet, ut Tabellio Instrumento Parti tra-
dito ab ejusmodi correctione abstineat, nisi judex Ordi-
narius id emendet: Egoutique dispicere ulterius hic ap-
peto de errore, qui circa Indictionem accidit; is au-
tem est vel Commissionis: ubi sc. Indictio Instrumento
adjecta; sed non illa, quæ nunc in computatione est justa
& annualibus conformis; vel est omissionis. Prior non
vitiat Instrumentum: altera verò Omissionis omnino il-
lud invalidat, nisi forsitan ex aliqua loci consuetudine o-
mitteretur, prout in Italia id pluribus in locis non insoli-
tum esse novimus; vel Indictio in Protocollo Notarij sit
expressa; tunc enim licet in Instrumento omissa, illud
nihilominus valet, Cagnol. d. I. n. 20. Vital. de Cambin.
Tract. de Claus. fol. 148. n. 10. & 11. cum seqq. Tandem
hic talis quæstio loco corollarij moveri potest, An etiam
Notarius parti ad interesse teneatur, quando scribere In-
dictionem, vel aliam aliquam solennitatem aut veritatem
omisit?



omisit? Ad quam respondetur, quod si is in Protocollo
Imbreviaturæ contractus per eum celebrati non fecerit
mentionem & sic istius non bene recordetur, is tunc te-
neatur de sua negligentia parti læse ad interesse i. e. ad
dispendium. Id quod tamen verum intelligas, quando de
serie contractus veritas sciri non possit: nam si supereſ-
ſent testes, qui de veritate negotij recordantur, magis ju-
vat, ut tunc Notarius ipsos testes, qui contractui inter-
fuerunt, & de negotij serie recordantur, examinari, & de
ipsorum dictis instrumentum confici curet. Postremò
propter Exordij argumentum hic etiam illam quæſtio-
nem: An Officium Notariatus sit Dignitas, & si ſic, an il-
lud etiam nobiles ambire ac fine imminutione Status ex-
ercere valeant? proponere non erit inutile: Et quan-
tum ad meam ſententiam spectat, Ego statuo, quod ſic:
Nam licet à quibusdam doceatur, quod Notarius Pub. ſit
viliſ, quia omnibus inservire teneatur: ſimiliter, quod il-
lius officium ſit munus personale, quin, quod etiam infa-
mis Notariatum exercere poſſit & ſi Decurio exercet No-
tariatum, perdat Dignitatem Decurionatus: imò quod
etiam Doctores, Clerici & Senatores per Constitutionem
Maximi. Notariatus juramento & exercitio absolvantur:
(puta; non ob turpitudinem functionis; ſed aliae
Reipubl. negotia) attamen illud & ejusmodi alia ad an-
tiquam Imperij formam reſtringenda veniunt: quia tunc
temporis officium Notariatus non erat tam amplum, ho-
nestum & neceſſarium; & quilibet judec ſibi Notarium
ad placitum creare poterat; id quod nunc non æquè li-
citum eſt, ſed conſtat inter omnes, quod illius collatio ho-
die inter majora regalia vel Reservata Cæſareæ Majesta-
tis computetur. Deinceps etiam illo tempore adhuc
Servitutes hominum personales colebantur: Tertiò
necdum Judicis officium in actibus voluntariæ Jurisdi-
ctionis cum illo erat connexum: Quartò neque per Re-

cessum Imperiale vel consuetudinem Germaniam condecoratum: imò ab abusu & vulgi opinione ita, prout nunc cernitur, necdum vindicatum: Quamobrem ego quidem statuo, quod hodiè apud Nos Notariatus ob annexam Jurisdictionem voluntariam non tantum Dignitatem; sed etiam immunitatem: imò ex Formula Juramenti Notariorum vulgaris, Adjutorium summi Magistratus conferat: ita ut illud Nobilitatem non obfuseat, & hac ratione Nobilis non erubescat, tanti momenti & sublime officium: si modò istud moderatè & discretè exerceat, ambire & obire. Nam Notariatus est ars honesta honoratis viris digna. Idque eò magis, quia olim Nobiles fuerint Judices & reipublicæ litterariæ addictissimi: Unde Nobiles de Taxalis olim Notariatum exercuerunt Prosp. Farinac. Decis. 594. n. 3. Interea Ego non diffiteor, quod ipse tales & transitu in civitate Unnaënsi & alibi in necessario itinere ad eorum preces & Instantiam creaverim. Tandem & hoc non abludit à proposito, quod Notarius in proprio à se gesto actu instrumentum, quod vim probandi habeat, confidere non possit; ut ut Indictione justa usus est, quia nemo potest alterum sibi suo Instrumento, quod ipse conscripsit, obligare 1. 5. 6. & 7. C. de Probat. & tale Instrumentum merito haberetur suspectum, quia metendum foret, ut notarius affectibus indulgens, suoque commodo studens falsum conscriberet Instrumentum: Pro uxore tamen Instrumentum confidere optimè potest Bart. in l. 18. in princ. ad L. Cornel. de Falsis. ut & pater pro filio Bart. in lib. 11. in princ. ad L. corn. de Fals.

Ex his prædictis, Dn. Auditores honoratissimi, jam satis liquet, quām cautè, quām scitè & doctè Notarius Publ. Cæsar. in negotiis humanis procedere debeat; ita ut ille summam in officio suo operam impendere teneatur, ne potissimum inclausulis Instrumentorum impingat, aut errorēs substantiales committat. Cum igitur præsens, no-

vus



vus Candidatus Notariatus Favorem meum persuasum sibi habeat , ac se mihi in Examine solenni satisfacere posse confidat, Ego ipsum diutius detinere nolo ; imò benevolentia & promptitudine ipsi^m precibus gratificandi potius antevertere satago. Deus ter-opt. max. itaque in eo operetur, ut non tantum in examine ; sed etiam in maximi momenti officio ipsi committendo laudabiliter se gerat, adeò, ut egò ipsi petitos publicos honores condignè conferrè possim, & ii illius animæ salutares , patriæ utilies, indigentibus verò grati acceptique existant ! Dixi.

**Aphorismi quidam de Laudemis Ecclesiasticis
cum annexis juribus Emphyteuticis Chartæ vacuum
superantes iisque selectissimi.**

Aphoris. I.

LIcet ante omnia inter bona Emphyteutica & censitica distingue nos oporteat ; cum ex sola laudemij solutione prædium non censeatur Emphyteuticum Besold. in Thesaur.jur.voc. Handlohn : tamen in favorem Ecclesiæ omnia bona censitica habentur Arumæ. Exercit. 14. Mascard. de Probat. Concl. 281. n. 1. Reyger. Thes. jur. voc. Emphyt. n. 124. Scheplicitz. in Promptuar. juris tit. 10. §. 1. n. 19. ubi simul probat, quod idem dicendum sit, cum Emphyteusis à privato Ecclesiæ inserviente concessa sit. Si enim bona Ecclesiastica non essent Emphyteutica ; sed censitica , ea aperta non ad Patrimonium Ecclesiæ : sed ad Dominum Jurisd. politicum reverterentur : id quod tamen absolum est : Ergo & prius non quadrat.

2. Est autem Emphyteusis duplex Civilis & Ecclesiastica : in illa ob non solutum canonem per triennium : in hac verò , per biennium Emphyteuta prædio privatur Scheplicitz. d. l. ad §. 2. n. 2. Reyger. Thes. jur. voc. Emphyteus. n. 49. Et hæc poena statuta est in Novell. 120. cap. 8.

3.Unde

Emphyteus



3. Unde jura civilia loquentia de Emphytheusi non habent locum in Emphyteusi Ecclesiastica Jul. Clar. in Sent. lib. 4. §. Emphyteusis qv. 48. aut contra personas Ecclesiasticas Thomas Trivision. Tract. de caus. civil. lib. 1. Decis. 5. n. 14.

4. Idque in tantum verum est, ut ne quidem ipsi Imperatori potestas disponendi super Ecclesiasticis provenitibus in illius præjudicium competat Jul. Clar. Sent. lib. 4. §. Emphyteut. qu. 28. §. nee dicatur add. Authent. cassa. C. de SS. Eccles.

5. Certum est etiam, quod Emphyteuticus contractus comparetur Locationi & conductioni Reyger. d. l. n. 60. jam vero planum est, quod Prælatus successor non teneatur stare Locationi & conductioni Prædecessoris Reyger. Thes. jur. voc. Ecclesia n. 56. Ergo nec Emphyteusi.

6. In Emphyteusi Ecclesiastica non succedunt hæres extranei, ut uxor, filii naturales & Legitimi, Reyger. in Thes. jur. voc. Emphyteusis n. 3.

7. Laudemia variis casibus solvi debent: nam solvenda sunt ex contractu permutationis, Besold. in Thes. jur. voc. Handlohn §. item ex contractu. Similiter qui dividit, tenetur illa solvere Capel. Tholosan. in Tr. Decis. qu. 27. & 75. in marginal. Licet ex pura donatione laudemium non compete ibid. qu. 178. contraria Reyger. in Thes. jur. voc. laudemium n. 8. asserat. vid. Struv. de Renovat. Invest. cap. 10. Aphor. 13. Debent, etiam solvi in Retractu à proximioribus, Reyger. d. Tr. voc. Laudemium n. 3. Præterea debentur à secundo vel tertio Emptore tota residua per actionem Emphyteuticariam: Et ultimus emptor rem retinere cupiens omnia antea non soluta laudemia solvere tenetur Reyger. d. l. n. 3. In summa Laudemium debetur pro omni alienatione rei Emphyteuticæ. Reyger d. l. voc. laudemium n. 1.

Qua-



Quamobrem laudemium solvi debet ab Emptore rei sub-
hastatæ ; licet alias in venditione necessaria i. e. rei
communis non debeatur vid. Dn. Philipp. de Subhast. cap.
de Laudemio.

8. Emphyteuta tenetur quoq; ostendere Domino In-
strumentum rei Emphyteuticæ Reyger. in Thes. jur. voce
Emphyteus. n. 77. Sicuti etiam quantitatem agrorum Co-
ler. Consil. 31. n. 158. cum seqq.

9. Est autem laudemium 50. pars pretii & non valoris :
Reyg. d. l. n. 3.

10. Non semper Emphyteuta privatur prædio Emphy-
teutico ob non solutum canonem ; nam caducitas est re-
missa ex receptione canonis pro tempore futuro , nec redi-
fragatur protestatio ceu factio contraria Prosp. Farinac. De-
cis. 916. n. 5. Menoch. de tecipiend. possess. remed. 9. n.

152. Idem quoq; verum est de casibus erroris , paupertatis, pestis & calamitatis bellicæ , sterilitatis omnimodæ : &
succurritur hæredi per restitutionem in integrum Reyger.
in Thes. jur. d. l. n. 117. Glos. ad l. 2. in verb. Legem C. de
jur. Emphyteut. Dec. Cons. 58. in fin. Jul. Clar. in Sent. I.
4. §. Emphyteus. qv. 10. & 8. cum seqq. versicul. etiamsi
pro 1000. annos cessaverit & versic. Sed nunquid. Add.
Carpz. f. 1. tit. 9. ¶ 91. Reyger. d. l. n. 108.

11. Ignorantia hæredem nescientem rem fuisse Emphy-
teuticam & non solventem Canonem excusat à caducitate
Reyger. in Thes. jur. voc. Emphyteus. n. 6. Id quod ad-
huc magis procedit in simplici censita canonem non sol-
vente ibid. n. 12. per Constit. Elect. Sax. 39. p. 2.

12. Emphyteuticarij ob præscriptionem 40. annor.
non possunt destitui & dicuntur Domini fundi l. 12. & 14.
Cod. de Fund. Patrimon. add. l. 4. De Præscript. longis.
tempor.

13. Dominus directus sciens caducitatem tacendo remi-
ssisse pœnam creditur, etiamsi conventum fuerit, quod res

C

ipso



facto caderet in commissum. Reyg. in Thes. jur. voc. Emphyteusis. n. 109. & n. 132.

14. Emphyteuta Ecclesiæ si per annum & dimidium cessauerit à solutione canonis & citatus à Prælato fuerit contumax , cadit Emphyteusi, non expectato biennio Reyger. d.l.n. 127.

15. Emphyteuta canonem solvere non potest per partes invito Domino ; imò per divisionem rei Emphyteuticæ canonis solutio non dividitur, sed quilibet ex dividentibus potest in solidum conveniri, & non factâ solutione per unum legitimo tempore , tota res cadit in commissum , licet alter solverit pro parte sua. Reyger. d. l. num. 220.

16. Emphyteusis Ecclesiastica non extenditur in infinitum, vel ad hæredes, nisi id pacto caveatur Bald. super Feud. Rubric. de Feudis March. n. 7.

17. Si Emphyteuta dedit in dotem bonaEmphyteutica æstimata venditio est, in qua requiritur consensus Domini , ut in cæteris meritis venditionibus ; licet is non requiratur in simplici datione in dotem. Tyraquell. tom. 3. de Retract. §. 35. Glos. 14. n. 21. add. Speculat. de Locat. §. Nunc aliquis vers. 110.

18. Laudemia etiam tum, cum Dominus directus moritur, novo Domino à possessoribus rerum Ecclesiasticarum in Emphyteusin datarum debentur per l. 3. C. de Jur. Emphyt. Nam ubi eadem ratio, ibi idem jus statendum : nec hic fit extensio Alex. l. 5. Cons. 5. num. 24. Abb. ad c. nihil. col. Antepenult. De Election. Non Obstat, quod in tali casu exactio laudemiorum dicatur odiosa, quia hæc regula tunc tandem vera est, si non publicam utilitatem vel Favorem Ecclesiæ respiciat, l. 2. §. Exercitium ff. his , qui notantur infam. Prædicta Lex 3, vero §. Et ne Avaritia &c. non usum, sed abusum coercet, unde Domino Legislatori hoc honorarium non est odiosum : cum.



cumprimis, quoniam Translatio Loci (de qua in d.l.) de
Dominio potiori exaudienda est, id quod patet ex ibid.
subsequenti Adversativa. Quâ quidem lege Ecclesia ea-
tenus, quatenus tendit in favorem, juxta Panorm. utitur.
Idque eò magis, cùm isthæc per consuetudinem Germa-
niæ in omnibus ferè Episcopatibus confirmata sit. vid.
Adam Struv. d. Renovat. Investitur Aph. 14.

19. Consuetudo autem Curiæ Capituli in percipiendis
fructibus est præ cæteris attendenda per l. 1. & 3. C. quæ
sit long. consuetud. verbis: quod Curiis & collegiis præ-
stitum esse cognoscitur.

20. Illa quoque ex libris Canonicorum & Instrumen-
tis probatur Nicol. de Passerib, de privat Script. l. 5. in
princ. n. 3. 6. & 9. Hart. Pistor. qu. 30. n. 12. Finckelthaus.
117. Ruding. in Observ. Cameral. cent. 5. Obs. 86. Rebuff.
Tract. de lit. Obligat. Glos. tert. n. 12.

21. Quamvis autem Judex secundum consuetudinem
judicare debeat, ne litem suam faciat Reyger in Thes. jur.
voc. Consuetud. n. 7. per Gail lib. 1. Obs. 36. Goeden Cons.
12. pag. 37. n. 9. vol. 1. Attamen generalis & notoria con-
suetudo non debet probari, Mynsing. Cent. 5. Obs. 96.
n. 6. De qua Doctori attestanti creditur ibid.

22. Allegans consuetudinem tenetur eam factis de-
super articulis probare. Reyger in Thes. jur. voc. Con-
suetud. n. 29. & 80.

23. Consuetudo respectu causæ principalis ob quam
introduceda est, non est odiosa, sed favorabilis Cravett.
118. n. 9. capit autem robur ex tacito populi consensu:
Ergo non opus judiciis præsentia Reyger. d.l. n. 52.

24. In Juribus concernentibus universos ejusdem Cu-
riæ Emphyteutas unius factum ex connexitate causæ
juxta Frideric. Mindan. de connex. caus. alteri nocet, &
consuetudinem inducit, sunt enim quasi socij ejusdem
prædij citra consensum Domini indivisibilis per vulgata.

25. In Emphyteusi datur personalis propria & specia-
lis actio Emphyteuticaria pro laudemio solvendo: uti
& tacita hypotheca cum privilegio prælationis ratio-
ne laudemij in concursu creditorum, Frantz de lau-
dem. cap. 16. Ratio est, quia est nominatus contractus bo-
næ fidei Reyger. d.l. n. 59. Struv. d.l. Aphoris. 17. & lau-
demium in recognitionem domini directi debetur. Dn.
Richter. de Privileg. credit. & 2. memb. 5. n. 11.

27. In Emphyteusi Ecclesiastica scriptura conventio-
nis est necessaria Scheplitz. d.l. tit. 10 §. 2. n. 6.

28. Si contingeret, quod aliquis possedisset ultra 30.
vel 40. annos pro uniformi canone bona aliqua & de-
inceps Dominus, cui persolvitur canon, vellet possessori
bona illa eripere, an contra Dominum istum tueri se queat,
querunt Dd. & Baldus respondet in l. male agitur 2. C.
de præscript. 30. ann. jus Emphyteuticum, seu perpe-
tuum coloniæ jus tanto tempore præscribi, ita ut expelli
nequeat possessor. id quod etiam Jason in l. 2. n. 155. de
jur. Emph. approbat, afferens id omnes ita sequi, & hoc
verum esse sive de titulo ac tempore Locationis constet,
sive non: vid. Scheplitz. d.l. tit. 40. §: 9. n. 2.

F I N I S.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-554791-p0023-7

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-554791-p0024-2

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-554791-p0025-8

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-554791-p0026-4

DFG

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

002 381 974

3



56.


V3 217



spatia saepe
in miliori munitione p

B
ante et omnia que
cum vobis vana que

h
dilecte vos a filii per. Eius



RSUS -JURIDICO- IGUS,

cessitate Indictionis Ro-
pusdam Erroribus ex
profuentibus ,

HARIAS

Billingen / VG

LAT. CÆS. S.R. I.
nicus Capitularis Mar-
Præpositus in Ecclesia
Sixti ibid.

*ruditissimorum Virorum
f. crearet*

Virum-juvenem

ORVM SÜTTICHI

*Singularēm requisitionēm
673.*

reæ Koch , Typographi,
XVIII.